12

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUÆDAM DE RECENTE

FEBRE EPIDEMICA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris.

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL PEACOCK,

Anglus,

COLL. REG. CHIR. LOND. SOC.

" *Non domus et fundus, non æris acervus et auri*
" *Ægroto Domini deduxit corpore Febres.*"

HORAT.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.

RALPHO BLAKELOCK,

ARMIGERO,

VIRO ANIMI ILLUSTRI,

HOC OPUSCULUM,

TESTIMONIUM QUIDEM EXIGUUM

ANIMI SEMPER GRATE MEMORIS,

OB BENEFICIA MULTA

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

DEDICAT

AUCTOR.

NECNON

MARTINO IRVING,

ARMIGERO,

VIRO ILLUSTRI OB OMNES VIRTUTES,

TAM PUBLICAS QUAM PRIVATAS,

QUÆ HOMINEM FACIUNT ET ORNANT,

HOC ANIMI GRATISSIMI

PIGNUS PERTENUE

PROPTER BENEFICIA INNUMERABILIA IN EUM COLLATA,

LUBENTISSIMUS INSCRIBIT

SAMUEL PEACOCK.

Legioni Sexagessimæ Primæ in parte Hiberniæ Septentrionali adfui, cum Epidemica recens primo exorta fuit Febris, et omnes occasiones videndi hunc morbum ordines diversos incolarum adorientem arripere; hanc igitur pro argumento Dissertationis meæ Inauguralis selegi.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE RECENTE

FEBRE EPIDEMICA

COMPLECTENS.

SAMUELE PEACOCK Auctore.

OB frigus et humiditatem præter solitum tempestatum, segetes defecerant, pluviis ingentibus per æstatem anni MDCCCXVI factis, et temperie media veris, æstatis et autumni, fere gradibus quatuor infra calorem earundem tempestatum anni prioris existente. In Anglia, Gallia, et magna parte hemispherii septentrionalis, tempus pariter infaustum extitisse videtur, annus MDCCCXVII. Frigidus et humidus fuit messis, igitur deterrima fuit segetis, et battata et parca

et insalubria fuerunt, inopia igitur in quibusdam partibus Hiberniæ, famem fere referens invaluit, quæ circa mediam æstatis MDCCCXVII gravissima fuit; pane, hoc tempore duplo et amplius, et battatis in plurimis locis triplo et amplius pretio solito caris existentibus; difficultates pauperum, rebus ita se habentibus, præsertim in parte septentrionali Hiberniæ, fuerunt ingentes; sæpe herbas agrestes esculentas ad levandos dolores famis colligentes visi sunt; et quidam miserrimi ex inedia revera succubuisse videntur; ærumnæ pauperum frigore magnopere auctæ fuerunt cespite, qui in Hibernia est fomes præcipuus vulgi, tam raro, ut carbo, invectus ex parte boreali Angliæ, pretio, vectione per terram etiam addita, quam cespes cariore venditus est. Immundities solita vulgi Hibernici effectus perniciosos istorum malorum auxit; inopia fomitis efficiente ut miseri conferarentur in conclavibus parvis, cum vestitu effluviis noxiis infecto, et per diem et noctem per longum tempus sæpe gesto.

Famem et Pestilentiam sæpissime concurrere, historia omnium gentium probat. Epidemica

de qua agitur, ac innumeræ priores, per vel post tempus sterile, in eo ordine hominum qui ob mores et habitus contagio febris imprimis obnoxii sunt, orta est.

Defectum nutrimenti oportere esse causam præcipuam febris epidemicæ mihi persuadetur; quoniam domicilia arcta pauperum, immundities corporum supellectilis et vestium, et sordes accumulatæ in angiportubus ubi habitant, omnibus temporibus immutatæ sunt; contra, febris epidemica, non nisi raro, et post longa intervalla, adoritur. Nexus inter pestilentiam et famem intercedens sæpe antea in Hibernia observatus est. Per annum sterilem MDCCXL–XLI, febris epidemica secuta est; adeo lethalis, ut intra tres annos octoginta millia hominum, febre, dysenteria et fame periisse computatum est. Mendici illo tempore in Eblanam undique se receperunt, et augmentum febris in locis ab urbe remotis, terrorem revera incussit; sed morbum mirum est ad urbem non pervenisse, nisi post aliquot menses elapsos, cum gravitas famis imminuta fuit, adeo ut cum morbus Eblanam adortus est, pretium panis et batattorum soli-

tum fuit. Aggressus est vicos vicinos in parte septentrionali et occidentali Eblanæ, sed ad urbem ipsam non pervenit, nisi circa mediam Septembris MDCCCXVII, quo tempore febris in plurimis urbibus in Scotia, Hibernia et Anglia aucta fuit.

Pauperes in Hibernia ne migrarent, legibus non prohibitos esse, in memoria tenendum est.

Epidemica de qua agitur, tempore quo summæ ærumnæ pauperes laboriosos premebant orta est, cum inopia laboris, bello finito effecta, et opificia omnia cessantia, cum messe anni MDCCCXVI, deficiente, ad augendas difficultates vitam tolerandi concurrebant.

Morbus qui sic ortus est, dum a quibusdam neque esse periculosus nec contagiosus, et ab aliis non omnino existere, habitus est, metum universalem cito excitavit, et ad varia consilia prudentiæ et humanitatis ad periculum occurrendum, nosocomiis instituendis, tandem confugitum est. Febris per menses antumnales et æstivos plerumque augetur; et frigus cursui ejus non obstat, ut Altonæ per hiemem anni

MDCCCXIII,–XIV, quo febris grassabatur, ad gradum trigesimum quartum infra punctum gelationis, probatum fuit.

Epidemicam nunc sævientem prorsus esse contagiosam existimo, sed de tempore certissimo post infectionem non facile constat. In quibusdam exemplis spatium quarundam hebdomadum intercedebat, et diuturnitas hujus intervalli, opinioni malum non ex contagio ortum esse, favebat.

Febris omnes ordines hominum, et primum ratione æquali, invadebat. Tabernarios ab ea sæpe correptos fuisse observatum est, ob mendicos ad fores confertos, et pignoratores sæpissime affecti fuerunt.

Clerici innumeri et Medici huic epidemicæ succubuerunt, quamvis parietes et areæ in quibusdam ex domiciliis miserioribus loti et purificati fuerunt. Morbus inquilinos alium post alium adoriens, adhuc invalebat, et non antequam stragula et vestitus perfectissme purificata sint, ex toto superatus fuit.

Hoc morbo valente, alii morbi acuti cessisse,

ut in plurimis epidemicis in aliis locis observatum, visi sunt.

SYMPTOMATA.

Pulsus vel tardior vel frequentior quam in febre observatur; et hic, ineunte morbo, non symptomatis indicatur. Sensorium multum affectum, est sine signis ex illis valetudini propriis multum diversis. Corpus petechiis obducitur; alia symptomata sunt mitia, et vice versa: calor cutis fere est naturalis, dum signa febrilia statim ingravescunt; lingua nitida et humida est per morbum gravissimum: Exempla abnormia hujusmodi, epidemica ineunte, creberrima fuerunt, et sæpe in mortem desierunt. Inter mares, illosque diætæ lautiori, quam vulgo in hac regione plerumque suppeditatur assuetos, sæpius observata fuerunt, cum signis febrilibus præter solitum irregularibus, in ægris omnium ætatum, (in plurimis infantibus etiam non annos quatuor vel quinque natis) apparentibus, et illa forma peculiaris petechiarum, in quibus eruptio ru-

beolam refert, multo sæpius quam antea observata fuit. Huic efflorescentiæ multo frequentius quam ulli alii generi petechiarum symptomata, periculi sæpius adsunt, imprimis si nigra sit. Hæc ab SYDENHAMO, anno MDCCXXXI, observata fuit. HUXHAMUS eam anno MDCCLXIV, descripsit, et Dr GOTTWALD, in Historia Pestis ad Dantzic, anno MDCCCXIII, eruptionem petechiarum rubeolæ similem, et per corpus diffusam, memorat. Hæc eruptio inter diem quintum et sextum febris plerumque observatur. Suffusio oculorum, conjunctiva affecta eodem modo ac superficies corporis, ut in rubeola et scaraltina accidit, comitatur. Hæc diversis modis apparet, nonnunquam tam pallida est, ut vix percipi possit, nisi oculus ei admoveatur. Rebus sic existentibus, suffusio oculorum eam adesse denotat; stupor et delirium in diversis modis plerumque adsunt; in nonnullis exemplis adeo fuit elevata, ut digito superficiei admoto, percipi potuerit: Eventus probabilis ab eruptione non colligi potest. Hanc evanescere symptomatis gravibus acutis vidi, quamvis hoc, ni fallor, convalescentiæ plerumque adest. Ex

aspectu solo eruptionis inter hanc et rubeolam, præsertim ad initium, aliquando difficile est dignoscere. Historia modi accessionis, et signa quæ adsunt, hanc ex eruptione satis dignoscunt; non sub pressu evanescit. Cum eruptio sub hac forma rubeolæ simili, in ægro haud mediocri visa fuit, morbis plerumque fuit periculosus; idem in aliis locis observatum fuit.

Altonæ ordines superiores, si petechiæ occurrerunt, morbo citius succubuisse notatum fuit. Laborantes febre cui hæc eruptio adest, si non ab impetu secundo immunes sunt, illi saltem non adeo sunt proclives ac laborantes febre solita; quamvis hoc sæpe inquisivi, ægrum nunquam deprehendi in quo hoc signum separatum fuit, qui eadem febre antea correptus fuerat. Alia res huic epidemicæ fuit peculiaris; nimirum color lividus extremitatum, cui non frigus sed vitium insigne functionum cerebri adfuit. Signum fuit terrificum sed non lethale, et in exemplis gravibus tantum observatum fuit. Hoc indicium mihi degenti cum legione militari ad ripas insalubres Gendianæ in Hispania perceptum fuit. Exempla impetus ad

cerebrum, cum inflammatione locali in quadam parte interna capitis quoque adfuerunt; et in nonnullis exemplis, præcipue in æstate, in maniam desiit. Vertigo inter convalentiam, et affectus pectoris frequentes fuerunt; flavedo cutis et tunicæ adnatæ haud rara fuit, et nonnunquam summum periculi denotabat. Recidiva post lenes accessiones morbi sæpe evenerunt, dolor capitis, plerumque ad frontem et occiput relatus, quoque adfuit, et dolores acuti lumborum, et artuum præsertim majorum, quos singuli conatus ad movendum auxerunt. Cutis nunc arida et sicca fuit, sine ulla proclivitate ad perspirationem accedente; pulsus quod ad frequentiam sæpe ad centum vel centum et decem ascendebat, sed ex ictibus octaginta sex ad nonaginta, et centum et vigenti, in minuto horæ vacillabat. Lingua in exemplis plurimis pellicula cinerea densa fere tenace obducta fuit; in aliis valde sicca et arida, vel vitrea, et nonnunquam nonnihil turgida, sed cum pauxillo pelliculæ, et colore subrubro vel flavo, et aliquando fusco apparebat; sitis plerumque vehementissima fuit, et sapor oris injucundissimus, et fauces aridissimæ

fuerunt. Noctes sæpissime insomnes fuerunt; vel cum illis somniis turbatis, in quibus vigor imaginationis cogitationi vigilantis adeo similis est, et tunc tam minimum est requietes, vel sensus refectionis, postquam æger experrectus est, ut dormiisse non sibi videatur; sed ægri plerumque etiam per noctem ex delirio fuerunt immunes. Alvus sæpissime ad initium est astricta, cum dolore et molestia in regione epigastrica. Nausea et vomitus cibo sumpto, aliquando occurrit, ad diarrhœam est proclivitas, cibo vel potu in ventriculum recepto per alvum statim dejecto. Hæc symptomata hebdomada secunda, vel serius verisimile, cum irritabilitate aucta canalis intestinorum ad conditionem morbidam ejus secretionum conspecta fuerunt. Nulla mutatio insignis ante diem octavum, nonum vel decimum, vel etiam serius, visa fuit; cum de languore et debilitate magnopere aucta ægri questi sunt, et quæ adstantibus manifesta fuerunt. Vox debilis, et loquela tardior, lingua sicca cum linea fusca in centro, pulsus exilior et magis compressus, sed celerior, et nonnihil acrior quod ad ictum, fiebat. Oculi hebetes, et vultus languidus fue-

runt, et æger in situm supinum decidit. Huic mutationi turbatio manifestior sensorii, et munerum ex eo pendentium, cito accessit, vel revera adfuit. Signum primum hujus conditionis turbatæ, fuit aberratio mentis ; imprimis, in expergiscente percepta hæc tandem adeo aucta fuit, ut per noctem vel etiam diem perstiterit. In exemplis plurimis, hæc turbatio animi stuporem potius quam verum delirium, vel hebetudinem vel impotentiam impressiones externas recipiendi referebat. Huic conditioni mentis alienatæ, et stuporis lenis plurimum somnolentiæ præcipue per diem adfuit ; nonnunquam ingens proclivitas ad gemendum, quamvis æger sedem peculiarem vel causam mali non indicare potuit. Cutis sicca non arida perstitit, et lingua fusca in media, et sicca per margines, altera gena ruborem circumscriptum exhibente, et pulsu micante centies et vicies minuto horæ, plerumque exili, et facile compresso, sed cum asperitate sensibili ictus ejus.

In hac conditione ægri per duas vel tres hebdomadas, cum ad remedia activa non confugitum erat, sine signis magnopere auctis, persti-terunt ; et tarde et difficile ad valetudinem re-

stituti fuerunt, aliquando ob vires vitales exhaustas; sine symptomatis vehementioribus, vel auctis, sine subsultu vel stupore, morbo succubuerunt.

RATIO MEDENDI.

Omnibus controversiis hypotheticis semotis, et attentione ad res revera utiles ad symptomata et mutationes, operationem remediorum quæ exhibemus, et aspectum vitii organici a morbo relicti, adhibita, argumentum intra limites arctissimos reduci potest, nimirum febrem non esse illum morbum multiplicem, quem sæpe esse perhibetur, et rationem medendi simplicissimam posse fieri, indicationibus minus obscuris quam in multis aliis morbis, et viribus remediorum manifestis et sæpe validis existentibus.

Conditioni sensorii, generis vasculosi, nervosi, musculosi, et organici, pariter ac ætati, et constitutioni ægri, summa attentio adhibenda est, ut regula sit nobis remedia idonea exhibentibus. Circuitus sanguinis abnormis qui inter decursum febrium occurrit, formam non secus ac rationem

medendi morbum insigniter temperat. Hæ varietates circuitus die secundo vel tertio, interdum hebdomada secunda, vel etiam serius, finem versus febris nonnunquam eveniunt; quo tempore quorundam organorum vitalium, munera ex toto turbantur, signis manifestis visis impetus vehementis sanguinis, vel alicujus actionis inflammatoriæ. Cerebrum, et organa respirationi inservientia, huic læsioni partiali maxime proclivia videntur; sed haud raro canalis intestinorum, hepar, peritonæum, tonsillæ, trachea, et etiam vesica urinæ, modo simili laborant. Nonnihil inflammationis in hoc organo progredi oportuit, cum jactatio artuum, et capitis signis solitis accedebant, irritationis acutæ cerebri quoque pauxillum dubii fuit. Hæc forma morbi inter ordines superiores prodibat. Si die tertio vel quarto, dolor capitis sit acutus, vel si absque hoc multum vigiliæ, velocitatis animi et loquelæ, et lucis intolerantia insolita, imprimis si pulsus sit ex ictibus centum et decem, ad centum et viginti: hæc symptomata sensorium fere inflammatione affectum esse denotant, et sanguinis missioni mu-

tationibus morbidis verisimiliter accedentibus, et nonnunquam adeo subito, ut cerebrum organum delicatissimum morbo insanabili afficiant, vires promptissimæ et validissimæ sunt. Hoc sæpe die nono vel decimo accidit, et sæpe pauxillo est metuendum nisi postquam malum non superandum supervenerit. Nulla signa languoris vel debilitatis a regimine antiphlogistico quod ad victum, regimen et medicamenta nos dehortari debent. Constitutio et dotes animi ægro nondum deficere, vel etiam partim exhauriri potuerunt; depressioni tantum subjectæ fuerunt, cui si onus grave morbi cito sublatum fueret, resistunt. Signa debilitatis et putredinis tantum conspiciuntur, cum natura sibi relinquitur conatibus inutilibus et superfluis superari, vel cum irritatio ex qua pendet status febrilis, remediis haud idoneis augetur. Per tempus excitationis insignis et irritationis cerebri, hæc quantum est in nobis imminui debent; et hoc efficacissime perficimus arteriam temporalem incidendo, vel hirudines ad tempora, vel cursum venæ jugularis admovendo, caput elevatum et circumdatum applicationibus

frigidis servando; extremitates inferiores in aquam calidam immergendo; alvum aperiendo, et revulsionem ex cerebro per sinapismata inducendo. Vesicatoria ad nucham colli admota, post vasa depleta, et per processum refrigerantem in superficiem calvariæ, remedia sunt præclara. Denique non stimulos diffusibiles admovendo, sed organum vel partem torpidam stimulando, irritationem vel excitationem nimiam in alio organo vel parte systematis imminuimus.

Emeticum, aut ob nexum inter cutem et ventriculum, nausea existente, vel stimulo generali generi arterioso per concussionem vomitu inductam præbito, vim eandem exerere videtur, circuitum æquabilem reddendi, et sanguinem ad superficiem corporis impellendi: sic frigus externum et oppressionem internam simul levat. Hic effectus pediluvio, vel si in promptu est, balneo tepido, et diluentibus, et potibus calidis, induci potest. Stadio excitationis adorto, remedia validiora antiphlogistica, si ad hæc confugitum est, die tertio, quarto, quinto, vel etiam sexto, febrem tollere possunt. De his remediis antea locutus sum, sed cum his illud medicamen

præclarum, effusio frigida, si nihil affectus pectoris adest, addi potest. Cum illa tolerari nequit, spongia pro affusione, vel balneo pluviali sufficiantur.

Alvus quotidie, vel diebus alternis, ope submuriatis hydrargyri cum pauxillo rhei palmati, vel jalapæ aut sulphatis magnesiæ, semper solvenda est. Mistura salina continens drachmas duas acetatis ammoniæ, in quibusdam exemplis modo laxantes mitis effectus ejus edit, et hæc vel alii sales neutri exhibeantur. Antimonium remedium est eximium in febre, præsertim cum unda sanguinis quoddam organum internum obruere imminet. Nausea ex hoc oriens actionem cordis minuit, et impetui sanguinis pro tempore, saltem, obstat, et in febre cum inflammatione pneumonica conjuncta, hæreamus nisi antimonium ad venæsectionem auxiliandum nobis suppeditetur. Opiata per se in febre exhibita non idonea sunt, sed cum submuriate hydrargyri et pulvere antimoniali conjuncta, imprimis ulli organo vel membranæ inflammatione vel congestione imminente, magnopere prosunt. Solutio alvi ab submuriate hydrargyri

inducta quam effectus ab eo in systemate geniti, plus commodi præbet.

Colorem purpureum extremitatum, in nonnullis exemplis, sanguinis missio ex capite minuere visa est; unde hoc signum congestione in cerebro ortum esse, vel cum eadem conjunctum, videretur. Vesicatoria, et sanguinis missio generalis vel specialis, dolori in regione epigastrica semper levamine fuit.

In exemplis illius collapsus subiti, qui in ægris magis ætate provectis plerumque accedit, et signa cujus satis sunt insignia, ut observanti sedulo appareant, vinum libere quamvis caute exhibitum, prodest, præcipue cum languor et debilitas ipsa manifesta sunt, sensus depressionis, cum gravitate, respiratione laboriosa, et cum æger jacet supinus et sine motu. His signis visis, cutis frigida et plerumque humida fit, sensu laxationis, frigoris et tenacitatis tactui præbito; lingua quoque antea fusca et sicca, fit humida, tamen fœda, et pulsus sæpissime frequentior fit, sed adeo parvus ut undulationi potius quam ictui sit similis. His existentibus,

ægri nisi stimulantia idonea exhibeantur, procul dubio morbo succumbent.

Perspiratio spontanea tamen haud raro accidit, et in nonnullis casibus, exemplum solum fortasse est crisis naturalis bene notatæ, quæ ex vasis secernentibus, excernentibus et exhalantibus, nunc unquam perspicitur.

Surditas in genere pro signo fausto observata fuit, et hanc aliquando fuisse causam non secus ac signum salutis, mihi persuasum fuit; ad sensorium magnum quietum et impressionibus externis liberum servandum inservit, et hoc fortasse summi est momenti in morbo quem medici nostri peritissime pro specie cerebritidis habuerunt.

Rationem medendi generalem in hac regione exercitam, quia dolori fuit mihi videre singula symptomata tonicis aggravata, dum signa inflammationis in visceribus nimium ægrorum qui perierunt conspecta fuerunt, omisi. Sanguinem primo cautissime detraxi, et eventu felice elatus, signa externa debilitatis irritationem morbidam in quodam viscere certissime indicasse, mihi constitit.

Huic argumento nunc finem imponam, narrationem de signis partium diversarum viscerum sectorum, et observationes paucas de venæsectione proferendo. Quamvis missionem sanguinis magnopere laudo, hanc tamen instituendam esse magna cum cura et judicio volo intelligi. Hanc depletionem copiosissime institutam illam debilitatem, ut olim opinio fuit, non inducere experientia docet, quia unciæ trecenæ sanguinis in vehemente impetu pneumoniæ, viribus haud multum prostratis detractæ sunt. Nam quamvis sanguis in febre continua a Frank, ab aliis longe ante illum missus fuit, hoc remedium in usum revocatum pro nova inventione existimo, idemque inter profectus præclaros rei medicæ honor cujus tempori hodierno tribuendus est.

SIGNA MORBIDA, CADAVERE SECTO.

Superficies cerebri magnopore vasculosa, est venis sanguine impletis, surculis arteriarum injectis: maculæ plurimæ ruberrimæ ex sanguine in piam matrem effuso orientes, nonnihil aquæ

in superficiem et cavitatis cerebri effusæ, congestio venosa in pulmonibus, et effusione diversæ in cavitatibus pericardii et pluræ, congestio venosa in hepate, liene vel canali intestinorum, aliquando aspectus sanguineus, vel maculæ effusionis in tunica mucosa, magis imprimis in ventriculo et primis plicis intestinorum, in nonnullis exemplis conditio tunicæ mucosæ canalis alimentarii magis pulposa vel tumida et decolor est.

Vasa venosa medullæ spinalis turgida sanguine, et fontes sensus et volitionis pressi, ne vis sensoria vel nervosa distribuatur ut decet prohibent; unde conditioni secretionum et temperiei quæ adeo ex nervis pendet magnopere turbatur, vel hæc quasi supprimitur. Omnia hæc signa ex causa morbida in genere nervoso et vasculoso operante; oriuntur, et pleraque symptomatum sequentium, quæ vocaculum renixus complectitur conatus sunt, salutares constitutionis ad æquilibrium perditum distributionis sensoria, et circuitus sanguinei restituendum.

FINIS.